

C L D



INSTITIA QVIVIVICV
KAMIVMIALCERNIS DIC
DEVESTVYVYSVIA

1 5 9 6



Ed. 35.



Ed 379

IACOBI I. N. SCHEGKI

OBSERVATIONVM

ET EMENDATIONVM,

PRAEMESSA.

Viris amicis, & doctis oblata.



FRANCOFVRTI

Apud Ioannem Wechelum,

M D X C.



INDEX EPISTOLARVM.

- I. HVBERTO GIPHANIO.
- II. IVSTO LIPSIO.
- III. FRANCISCO MODIO.
- IV. IOAN. AMBROSIO BRASSICANO.
- V. MARTINO CRVSIO.
- VI. HENRICO STEPHANO.
- VII. PETRO COLVIO.
- VIII. FRIDERICO SYLBVRGIO.
- IX. IANO DVZÆ FILIO.
- X. CASPARO VLRICO A RAMMINGEN.
- XI. SEBASTIANO BLOSSIO.
- XII. IVSTO POGHINO.
- XIII. ANTONIO BOVDANO.
- XIV. GVLIELMO ANTONIO.
- XV. MATTHÆO KLOCK.



Amplissimo Nobilissimoq. Viro

IOANNI AMBROSIO
BRASSICANO IVRIS-
CONS. AC CÆSARIÆ MA-
IEST^{atis} CONSILIARIO,
cognato meo.

NARRO, quod actum est, cum nuper
OBSERVATIONVM, ac E MEN-
DATIONVM paratam haberem,
uberiorem messem, commodum Adu-
lescentiæ nostræ beniuolentis amici
monuerunt, morem heic sequerer maiorum: ut enim
isti, aiebant, antequam messis auspiciam facerēt, fal-
cemq; serio immitterent, prameterere quædam solebant,
cum sacrificio, tum verò, qui Flamen de maturitate
frugum pronuntiaret: ita, & tibi spicis aliquamultis
prius ritè faciendum, quàm nimium properandum.
Quod verè, ac amicè monentes facile impetrarunt.
nam & ab instituto illico destiti, & hasce maturan-
tis fortean, nostræ messis spicas decerpsi; quas iam ad te
vir Amplissime, cognate Brassicane multis nomini-
bus mitto, atq; Flaminio tuo libens merito submitto.
adfectum in me Tuum intueor? amas, & estimas me
non solum, sed adiutum sedolo is, imò promotum.

) (2

EPIST. DEDICATORIA.

Eruditionem? iudicium de his talibus certum, & parata censura. Dignitatem, & auctoritatem? firmissimum contra maliuolos mihi scutum, prompta sub hoc clypeo quies. itaq. maecte hoc PRAEMESSO! non ut munus virtute, ac amplitudine Tua dignum, sed voluntatis, & obseruantiae in Te meae signum. maiora tempori dabo, dedicabo: paciscor. atq. adeo iam nunc apud Te sub signo; ut fortassis an tergiuersantem, in ius vocare ad hanc Epistulam olim iure, meritoq. tuo possis. Sed ne tua tempora delimem, Teq. Brassicane (quem virtus, Musa, Themis suis donis certatim ornarunt) ad clauum sedentem diutius turbem, Sollemnes rei rusticae preces ritè concipiam; VIDV-ERTATEM, vastitudinemq. calamitates, intemperiasq. prohibe sis, defendas, auerrunces, Tibique SCHEGKI spicas, & fruges dicat as serua sis, tue a-re. Vale, & salue à cognato;

Qui Te amat, & obseruat

IAC. SCHEGKIUS
IACOBI N.

Lector,

Siste. Hæc vide, & crede:



Rimum, quæ legis hæc, mea esse. si aliquid ex iis quis alius notauit, obseruauit, libenter, volenter iam nunc suum rescribo. tamen non vidi, non legi, ex animi sententiâ dico: iusiurandum darem, ni rectissime infufurraret Simonides;

Πρὸς ἀπᾶν τῶ ὄρκος σοφιστῆς ἔστιν ἀξίολογος.

Et facite, vbi degimus locus, excusaret. Deinde, in laudandis referendisque librorum cum editorum, tum Manuscriptorum scripturis vsu fide antiquâ, & Germanâ. Notores non dedi: noui patricias istas artes, ac odi. Lectiones hæctenus inuisæ, & è Manuscriptis prolatae apud multos vix inuenient fidem, nec laboro: modo apud illos, quos amat Fides, & Virtus; è quorum ingeniis meum comparatum profiteor. Quod superest, te mihi æquum, & volentem oro: vt sicubi lapsus sum, aut aliquid minus commodè elapsu, homini adulescenti humanum te præbeas, & legem Persarum æquitatis, iusticiæq; plenam, in memoriam reuoces: sicubi vero bona dixi, fruare vt tuis, vtare tamquam meis. Valeat Thaletis illud, & non solos se sapere existiment; qui olim his litterarum humanissimarum studiis Tyrannidem arroganter ac superbè adfectarunt. In quo desino Lector, fortassis an amice.



INDEX NOTARVM QVÆ

Epistulis continentur.

De Ciceronis loco secundo Legum quaesitum. Iupiter Vicepota. Victoriæ ædis. Senecæ, Liuii, Asconii loci. Cicero Quinto Tusculanarum emendatus. Acradina. Portæ Acradinæ. Epist. 1.

Ad Liuium lib. x x i v. lectiones variæ. indidem bis emendatus, nupera mea in eodem diuinatione reiecta. Septemviri. Noxæ esse. Mureti Emendatio improbata. 2

Ternæ in Festo Diuinationes. Adfostem. F, pro H. & contra. vocis Inhibere eximia quædam notiones. Ciceronis pro Quintio vulgata scriptura defensa. Iani Gulielmii laus. Iuge auspicium. Ennius forte emaculatus. Decotes. Equites Celsi, 3

Valerius emendatus, atq. contra Pighium defensus. Abactus partus, magistratus. Domitii Edictum. Telum varie sumtum. In conuiuio dignior locus medius. 4

Iuuenalis aliquot loci emendati. insuper variæ lectiones in duobus versibus. Sicambrum cæsaries. Prostare. Fluctus Oceanus. Senecæ vetus lectio in transitu stabilita. Machæra Hispania. Græcis in conuiujs saltare consuetudinis honestæ, non Romanis. Horatii locus. Reorum mos. Ruderere suum. 5

Noctium Atticarum scriptori Agellii nomen firmatum. an capitum argumenta ipse scripserit dubitatum. Gallus Auienus recensuit Noctes. quæ aliquot locis emaculata, vno auctæ. Habere. Congerere. Attoniti. Obstiti. Alumen igni resistit. Tmesis familiaris Lucillio. cur Theseus Neptuni filius appellatus. 6

Colui industria. Apuleii locus desperatus nouè tentatus. alter emendatus. Siphones. 7

De Nonio quid dictum. veterum quorundam apud illum fragmentis facta medicina. Quod de nata est. It visere. Im

INDEX NOTARVM.

Im pro eum Accio apud Macrobiū restitutum. Capeduncula. huic est animus propitiabilis. Dubitatum de verbis Noni 8

Plauti Asinaria vulgata lectio contra viros doctos seruata, & explicata. conclamare mortuos non apud Romanos modo, sed Græcos quoq. moris. Ilicet clamabat præfica. Supremum comitati funus. 9

Ciui Romani capitis pœnam subituro moris velare caput? non videri, refutati qui contrâ ibant. Collectanea, qui capita antiquitus velabant, moris parte vestis. Luteus color nuptiarum, & candidus. Ratio reddita cur noua nupta se obnubebat. Pomponius apud Nonium emendatus. In Persio varians lectio. 10

Solini complures loci emendati. Iphitus Elius, Antonii Del-rio laus. Iphiclus Hercules Filius. Assa & asta tibia. Astare. Terræ motus Tiberii ætate. Hylas, Fellitare. 11

Belgarum laus. Plauti locus in dubium vocatus, & coniectura leui castigatus, à malo quærere. Littera M sæpius detracta, aut adiecta Plauto. illius exemplum adductum ex Amphitruonis prologo, pacem aduenio. Lambinus notatus. 12

Liuius libro primo ambiguè emendatus. item Apuleius de Asino v i. Dierecto. Die rectus. Nonii Marcelli locus. Staius obiter correctus. 13

Lactantius emendatus. Mimus, Scurra mimarius, siue mimicus. Capitolini locus. Carminis de Pascha scriptura restituta. Myrta fœminino genere. 14

Vulgata Liuii lectio explicata, alia emendata. Rhenanus verè laudatus. Ausimus pro ausi sumus. 15

ELOGIVM.

*Sunt bona, sunt quedam mediocria, sunt mala plura
Quæ legis hîc; aliter non fit amice liber.*

AD

A D I A C O B V M
SCHEGKIVM IACOBI N.

Antiquitatum litteris operam dare
Vt laude dignum est; sic vituperio haud leui,
JACOBE; quippiam recens amplectier
Tamquam vetustum. Tullii qua nomine
In publicam auram falsa Consolatio
Exiuit, atq. in ipsa iam volumina
Irrepsit, agnoscasne Tullii ipsius?
Nequaquam opinor, si sapis. Quisquis fuit
Qui scripsit, uxorem ille numquam habuit reor:
Sic & Fenestella imputata perperam,
Quae diligenter Floccus exarauerat
Dominicus, ac quidam hercle memoria patrum.
Num cultor agri impune Constantinus est
Jam vindicatus? Hoc genus compluria
Temere oscitanti obtrusa prae obambulant:
Habere delectum utile est. Faxis secus,
Compensat impostura fraude gloriam.

Melissus.

IACOBI



IACOBI IAC. N. SCHEGKI
OBSERVATIONVM,
ET EMENDATIONVM
PRAEMESSA.

*De Ciceronis loco secundo Legum quaesitum.
Iupiter Vicepota. Victoriaedis. Seneca, Liuij,
Asconij loci. Cicero quinto Tusculanarum e-
mendatus. Acradina. Porta Acradina.*

EPISTVLA I.

HVBERTO GIPHANIO.



D grauiora litterarum quod me hortaris,
Huberte Giphani, dici vix potest, quam
mihi in partem, & voluptatē. intellexi iu-
diciū vtriusque conspirare, etiam hæren-
tem te confirmare salubrib. præceptis. ita-
que quod olim de Cheritibus ille;

*Οὐ πάύσομαι τὰς χάριτας ταῖς Μύσαις συγκα-
ταμιγνὺς ἠδὲ ἰσαν συζυγίαν:*

Id ego serio atque constanter de Ciuili Prudentia cogi-
to porro. Observationum libros, quos parabam, deposui;
tempora hæc siue video, siue ætatem meam, siue Germaniæ
nostræ studia, non consultum. nec tamen impetraui a me, vt
nihil. tumultuarie hæc paucula legi, non in nomē. quī enim?
sed auctorum conciliandorum, maesteq. iubentium caussa.

A

Tu legitimi senatus Critici merito tuo princeps, sententiam hinc dicas in primis, atque de hac mea correctione me doceas.

Cicero II. de Legibus:

De Ciceronis loco quasi-tum.

Quod si fingenda nomina vicepoeta, & potius vincendi atque potiundi, stat assandique cognomina Statoris, & inuicti Iouis.

Quaero hic fatin' Latine Ciceronianum in modum fingere vice Poeta? hoc primū. deinde, quo referendum ^{to} vincendi atque potiundi? ad inuicti Iouis? nugae Germanae. Dionysius tuus quid confert? gerras, quid filius eius? sequitur vestigia patris. contuli varias editiones, ac tentabam:

Quod si fingenda nomina, fingenda potius, Vicepotae a vincendo, atque potiundo, sistendoque. Statoris cognomina Iouis.

Toti huic loco contaminando nomen Vicepotae, ignotum librariis, & qui qui primas tractarunt editiones. isti ut stolide confidentes, cum legerent, *fingenda*, si dīs placet, bene emendarunt *vicepoeta*. cor Zenodoti!

Vicepotae cognomen est Iouis. Seneca Ludo de morte Claudii: *Proximus interrogatur sententiam Diespater, Vicepotae (vir summus malè Nicephori, siue Iapeti) filius, & ipse iam consul designatus.* & Liuius lib. II. ab V. C. de Valerii domo: *Delata confestim omnis materia infra Veliam, & ubi nunc Vicepotae est, domus in infimo cliuo aedificata.* Asconius tamen in L. Pisonem Liuii, velut fullonica trua, cōfutare videtur: ait; *Varronem tradere, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas.* L. Higinius dicit libro priore de viris claris: *Et P. Valerio Volesi filio Poplicolae, aedes publicas sub Velia, ubi nunc Aedes Victoriae est, populum eā lege, quam ipse tulerat, cōcessisse.* inquit ecce, *ubi nunc aedes Victoriae est.* Et Liuius, *ubi nunc Vicepotae est.* ergo cognomen Victoriae. Quid pronunciandum? an in Pædiani verbis mendum, & legendum, *ubi nunc aedes Victoris est?* ut Vicepotae Iupiter idem sit cum Ioue Victore, Nicæo, Vicio. sic indigerant auctores. Et Liuius lib. XXIX. plane non

non obnoxie tradit Victoriæ in Palatino fuisse. at Vicepotæ eodem auctore in plano, hoc est (cum Halycarnasseo Latino loquor) imo cliui, siue margine Palatini. Et absq. Asconii, non puto proferri auctorem, qui Victoriæ hîc statuat? non dixerim, nō abnutauerim. an Ioui cum Victoria commune? quidquid id est, Ioui hoc cognomen vnice asserit locus Senecæ superior. Vt enim Diespater, & Iupiter, Marspater & Mars idem: ita Diespater & Vicepota. Ludit Seneca in isto ludo, tamen vt seruet decorum, & morem, hoc est, demonstret filium a patre, non matre.

Idem Tuscul. V.

Ego autem cum omnia collustrarem (est enim ad portas Agrigianas magna frequentia sepulcrorum) animaduerti columellam, &c. Idem emēdatus.

Quæ hîc porta *Agrigiana*, siue *Agrigentina*, aut *Egredinas*. ita varie in libris. Veteres doctissimi Fuluij Ursini, *Achradinas*. Prona emendatio, & recta *Acradina* vel *Acradinas*, phrasi nota doctis. Cicero Verrin. libr. I V, Syracusas describens ait; *Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Acradina*. Plutarchus Timoleonte: *Et occupauit Acradinam appellatam. ea urbis Syracusæ, quæ quodam modo ex pluribus composita & constructa urbibus, munitissima pars*. Liuius libro XXV: *Et Syracusani tandem liberi metu. portis Acradinae apertis oratores ad Marcellum mittunt. iuuat quod non obscure e Liuiio, & Plutarchi Marcello colligas Archimedem habuisse Acradinae. Satis. Cui rei ad hoc sacrum, Giphani, longioribus tibijs. tanti fuit monere, monitum a nullo-dum quod sciam.*



Ad Liuium lib. xxiv. lectiones varia. indidem bis emendatus. nupera mea in eodem diuinationo reiecta. Septemviri. Noxa esse. Mureti emendatio improbata.

EPISTVLA II.

IVSTO LIPSI O.



IR magne. Animi mei mentem; quam nuper per Plantinianos subitis, & in subidis tibi expressi, non itero. ad ea potius auide auide tua audaculus exspecto. Si enim hoc tibi eximium, vt omneis, qui tua scripta pelle-gunt, mirentur, te ament, amicitiam magno ambitu expetant, anquirant, ambient; qui non ego, cui tu ductor & doctor in istis libens merito audiueras? Et sint mihi numero volucres alæ, protelo mehercle non bicipiti Parnassi iuga petierim, sed illud ipsum Batauiæ terræ Lugdunum, quo te meam curam complecterer, & ab ipso lare hunc purissimi amoris adfectum explicarem. at quia isto vilius, aduolo verbis alatis, hoc est literis denuo, & nobilem illum Liuii locum tui iudicii facio.

LIBRO XXIV.

Liuius tē-¹ Arpinus. recte.

tatus &
lectiones² Premium. vet. Sig.

varia ad-³ Altinus. vet. vulg. &
ductæ. MS. Sigonii, quod & per-
spicue verum pronunciar;
ego perspicue falsum. to-
ti enim huic loco conta-
minando fuit. nota.

*In ea castra Classius Altinius¹ Arpi-
nas, clam nocte cum tribus seruis venit, pro-
mittens si sibi² premio foret, se Arpos prodi-
turum esse. Cum eam tunc rem ad consiliū re-
tulisset Fabius,³ aliis pro transfuga verberan-
dus, nec andusq. videri, ancipitis animi, com-
munis*

munis hostis: qui post Cannensem cladem, tamquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissetque ad defectionem Arpos:tum, posteaquam res Romana contra spem, vota que eius velut ⁴resurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem: ut ⁵proditio pro septemuirali ⁶iudicio esset, semperque ⁷aliud sentiret, infidus socius, vanus hostis ad Faleriorum, Pyrrhive proditorem, tertium transfugis documentum esset.

ne iuuare conatus Sabellicus. ⁷ aliunde sent. vet. Vallæ.

⁴ resurgere rursus videatur, turpius audeat nouam referre proditionem. Valla.

⁵ proditis pelli v i iuriali iudicio est. vet. Sig. ut proditis pro septemuirali iudicio esset. Editio vetus quam laudat Valla. Proditis pelli u. m. iuriali iudictione, & semper aliud sentiat. MS. Lipsij. qui & Sibullas vocat. ut proditio septemuirali iudicio deesset. Taruisana editio.

⁶ iudictione deesset. vulgati veteres. alij iudicio retur. alii, semetuirali iudicio. quod postea inepta explicatio.

Locus vulgo depositus & conclamatus. nec .n. vnū vlcus, sed omneis articulos vis percepit gangrænæ. Scripturas variantes variorum codicum ad oram bonâ fide, tamquam Polyidi herbas corrogauit, quæ, quis scit? huic Glauco facerent Medicinam in vitam. Itaque lego:

In ea castra Cladius Albinus Arpinus, clam nocte cum tribus seruis venit, promittens si sibi præmio foret, se Arpos proditurum esse. Cum eam tunc rem ad cõsiliu retulisset Fabius, alijs pro transfuga verberandus, necandusque videri, ancipitis animi communis hostis, qui post Cannensem cladem, tamquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem defecisset, traxissetque ad defectionem Arpos:tum posteaquam res Romana contra spem, vota que eius velut resurgere videatur, turpius nouam referret proditionem: alius ut proditor ille (malim pene proditis ille, quamuis reuera non proditis) pro suomet tali iudicio dederetur, & semper (aut semperque. qui) qui aliud sentiebat (vel, aliunde pendebat) infidus socius, vanus hostis ad Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum esset. Sententia clara, aperta, nec opus explicatu. Fateor iam nuper in Velleio sequius de hoc loco sedebat iudicium. dabam coniecturæ doctissimi adulescentis, Matthæi Klock; quæ erat: Alijs ut proditis velle i i iuriali (vel septemuirali) iudicio dederetur. Resi-

pui. Hæc lectio manifestò βαρβαρίζου. quid enim est, *proditis velle dedi?* Quid triumvirale, aut viuirale iudicium? in vrbe noui, non castris. Et quis ausit præstare hoc delicti ad triumuiros pertinuisse? magis septemuiros? quorum adeò nulla memoria, vt sicubi eorum exstet mētio (exstat autem apud Paullum IC^{um} l. 7, l. 28, l. 31, D. De inoff. test.) ex hoc manipulo expugnant viri docti, & substituunt *Centumuirale*.

Sequitur in Liuiio.

II.

¹ *arbitria agere.* vet. Val-
læ edit. Basil. Lipf.

² *Et cum.* Mediolanen-
fis. quod notabis.

³ *ne nocet si quis resipi-
scat, & si quomodo fieri
possit.* vet. vulg. notabis.

⁴ *Et non nocituum docu-
mentum.* vet. Sigon. cui &
locus insanabilis. Et non
nocitent documentum aut
dicant statui oportere. vet.
Vall. aut qui descuerunt
novo metu redire dubitent.
Valla. Documentum au-
tem ducant statui oportere

non nocituum. Lib. Mureti. Documentum autem ducant statui oportere non nocet si quis resipiscat. quid. Et
Taruis. quod significauit Matt. Klock, cui olim debet Liuius.

Hercules cur numero mortuus! ecce tibi tertius deci-
mus labos. Vbi nunc Æneadum acumen? En Rhodus; en
saltus. Locum male multatum, etiam transpositum ac solli-
citatum, indicio lectiones variæ, auxilio quarum repono:

*Contra ea consulis pater Fabius, temporum oblitos homines,
in medio ardore belli, tamquam in pace, libera de quoq; arbitria
agere aiebat: & cum illud potius agendum sit, atq; eis cogitandū,
ne noxa sit, si quis resipiscat, & antiquam societatem respiciat,
documentum ducant statui oportere, si quo modo fieri possit, ne
qui socij a populo Romano desciscant.*

Hoc vult: præpostera prudentia homines, cum potius
hoc periculoso belli tempore satagere debebatis, ne sociis in
viam redituris fraudi sit, nos intempestiua vestra seueritate
ducitis

ducis δειγμα statui oportere in Classio Altinio, quo omneis illi qui fidem adhuc nostram colunt, metu pœnæ, & desperatione gratiæ desciscere a nobis in animum inducât numquam. Istud, *ne noxa sit, fuit nocet, nocitet.* ita locutus Salustius alibi: *Maxime vellem, patres conscripti, prava incepta consultoribus noxa esse.*

Elegantissimus tamen Muretus variarum lib. xv, cap. xvi, diuerse emendat. sed, sit res mei iudicij, non recte. sequentia namq. hæc Liuij reclamant. *Quod si, ait, abire a Romanis liceat, redire ad eos non liceat; quid dubium esset, quin breui deserta ab socijs Romana res fœderibus Punicis omnia in Italia iuncta visura sit?*

Hac dare ego ita censeo. recte an secus, tu disputabis V.C. bene olim ille,


Τὸ πειρῆν ἐξαμαρτάνειν φίλοι.

~~~~~

*Terne in Festo diuinationes. Ad fostem. F pro H, & cōtra. vocis Inhibere eximia quedam notiones. Ciceronis pro Quinctio vulgata scriptura defensa. Jani Gulielmij laus. Iuge auspiciū. Ennius fere emaculatus. Decotes Equites Celsi.*

### EPISTVLA III.

FRANCISCO MODIO.

 Voties sermones tuos ruminor, doctissime Modii, ac humanitatem; toties te mihi amicum obuenisse serio triumpho. omittam cætera. vel illud limine contractæ amicitia de N. N. tuo amice concreditum, quàm insigne tuæ in beniuolentiæ signum? His itaq. & tu humanitatis columen, Belgicæ terræ

illustre decus in Præmessa nostra, atq. has in Festo post magnum eius Apollinem diuinationes, fortassis an verisimiles tuâ censurâ dignaberis.

Diuinationes in Festo.  
I.

Ait Festus, siue potius Paullus:

*Aduosem, aduersarium hostem.*

Vidi quid Fruterius, quid Scaliger. potius rescriberim, *Adfostem aduersarium*, &c. consuetudine veterum, quibus F, *ἀντι τῆς* H, & contra solens vsurpatio, doctore Quinctiliano. Et vero noster infra in *Fedum* aperte ostendit. ait: *Fedum pro hedo, folus pro holere, fostem pro hoste, fostiam pro hostia.*

II.  
Inhibere.

Ait Festus;

*Inhibere iungere.*

Malo, *Inhibere iniungere*. Tres mihi notatæ istius verbi notiones nō passiuę. Vnâ, totum nauticum est, atque idem quod cursum flectere, & alio modo remigare. Cicero lib. XIIII. ad Attic. Epist. XXI, Academicar. IV, & alibi. Altera, videtur idem Tullius pro Quinctio vsus, pro *pertendere* & *perseuerare*. inquit: *Quod si facere nolit atque inhibuerit eiusmodi rationibus illum ad suas condiciones perducere*. Docti tamen hic satis audacter contra cū editiones; tum libros calamo exaratos sollicitant, atque *imbiberit, maluerit, instituerit*, restituunt. Tertia, pro *iniungere, imperare, imperio* uti. quod docuit e Plauto Liuioque Gulielmius noster, iuuenis malo literarum denatus. addas per me hunc Liuii libro XXXVII: *Et in senatu, & apud populum magnis contentionibus certatum, & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta*. Hunc in dubie respexit Festus.

Ciceronis locus.

III.

Ait:

*Fuge auspiciū est, cum iunctum iumentum stercus fecit:* Monstrum lectionis; an tentandum, *iunctum iumentum erectum cit?* probaui olim Matthæo Klock. at sollempnia hæc solummodo testamenti, nec aliò translata. ait; *iumentum her sci-*

*herciscitur?* id est, disiungitur. audacter; sed malo nodus, malus cuneus, ut in veruverbio est. Et nec ita longe abiuimus a scriptura, propius a re. Cicero I I de Diuinatione: *Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne iuge auspiciū obueniat, ut iumēta iubeant disiungere.* sustineo, & fungar vice cotis.

Ait;

*Spicit quoque, sine præpositione dixerunt, &c. & spexit.*

Ennius forte emendatus.

Ennius lib. X VI:

*Quod ubi res paulo spexit de cotibus celsis:*

Principium fragmenti laudat & Varro de lingua Lat. lib. v. diuersè:

*Vos epulo postquam spexit.*

Non adduco variorum varias emendationes, an coniecturas dicam? Legerim,

*Vos Epulo postquam spexit de cotibus celsos:*

Vel ad Festi scripturam:

*Quos ubi rex Epulo spexit de cotibus celsos.*

Nam in fragmentis Fuluii Ursini est:

*Quos ubi Rex... Ulo spexit.*

Locus de cæna siue conuiuio fortassis an sollempni, ubi princeps Epulonū, Modimperator sublimes, dico equites, conspexerat nō veste cænatoriâ, sed toga detritâ. Decotes. n. eodem auctore togæ detrite; & Celsi, Equites, quorum hoc proprium Epitheton. Horatius arte Poëtica:

*Celsi prætereunt austera Poëmata Rhamnes.*

Stattius lib. I. Silu. IV;

*Non iubente Numa timuit sic curia felix Pompeio nec Celsus eques. Peccatum versus quilibet facile excusabit.*

B

*Valerius emendatus, atq; contra Pighium de-  
fensus. Abactus partus. Magistratus. Do-  
mitii Edictum. Telum varie sumptum. In cō-  
uiuio dignior locus medius.*

## EPISTVLA IV.

IOANNI AMBROSIO BRASSI-  
cano, V. amplissimo Consiliar.  
Cæsar.



E in publica commoda peccem, rem suâ fronte  
edifferam. Tu fortasse, cognate Brassicane, Pa-  
negyricum & flagitas, & exspectas: at ego quasi  
ex peregrina, delicataque merce nugas meas ti-  
bi prodo. quas malum! inquires. Emendatiunculæ sunt reli-  
qui in Valerio mendi. tamenetsi autem in aula occupatissi-  
mus viuas, nec per grauiora, ista leuia tractes, ea tamen tua  
eruditio est; qua patrem, patruumq; & familia, & Germa-  
niæ nostræ ornamenta non sequeris modò, sed adsequeris;  
ea in humanos humanitas, ea in mea beniuolentia tua, vt  
istis paratam censuram, mihi vero obstrepenti facilem ve-  
niam pollicear. vt vere, etiam atq; etiam rogo.

Lib. IV, cap. VI:

Valerius e-  
mendatus.  
I.

*Territa metu, ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit,  
partumq; quem utero conceptum habebat, subita animi conster-  
natione, & graui dolore corporis eicere coacta est.*

*Optimus liber, graui dolore corporis abiicere coacta est.  
Emendo; abigere coacta est. merum Latium. quamuis & alia  
lectio in ora libri Manuscripti, graui dolore corporis abacta  
est. Venter, partus abactus, per vim eiectus. Paullus IC<sup>tus</sup>  
Sentent. IV, Abactus magistratus, qui coactus deposuerat im-  
perium.*

II.  
Vulgata  
scriptura  
defensa.

Festus Lib. V, cap. II. initio.

*Atq; ut a publicis actis ordiar, Marcum Coriolanum pa-  
triam*

*triam oppugnare conantem. Vidit Lipsius erratum, & legerat: patriæ interitum perficere conantem. Elegãtior multo ex meo, quam fero, Marcum Coriolanum patriæ interitum conantem. Si quis, certe hîc auctor, glossematis pessime laborat.*

## Lib. VI, cap. III, De Domitio.

*Interrogatumq; quo telo eam bestiã confecisset, postquã comperit usum venabulo, cruci suffixit.*

III.  
Vulgata  
scriptura  
defensa.

Doctissimi viri ita legi maluerunt. male. Edixerat Domitius ne quis telum haberet. At Venabulum teli species: iam quam ineptum quærere quo telo, quum constet de facto, hoc est gestasse telum? nam satis præiudicii in telo. sodes considera Valerii verba, ait: *usum venabulo cruci suffixit.* addit rationem; *quia telum prohibuerat.* Vulgata itaque scriptura verissima, quam cum Pighii quidam, & meus, tũ Cicero in Verrinis certo asserat his verbis: *Quasisse Domitium, quĩ tantam bestiã percussisset: illum respondisse, venabulo.* Dixi Venabulum esse speciem teli. vere. Telum trifarie accipitur; stricte, pro sagittis, & fundis. Cæsar lib. I. de bell. Ciu. *Sic quotidie eminus fundis, sagittis, reliquisq; telis pugnabatur.* Late, pro omni genere armorum, quod manu mittitur, etiam lapide. Caius IC<sup>tus</sup> l. si caluitur, §. telũ, D. De verb. signif. Sisenna historiarum III: *Manuales lapides dispertit, propterea quod is ager huiusmodi telis abundabat.* Latissime, pro quibuslibet armis. Tacitus Germania: *Nec ferrum quidem superat, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis vuntur; hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto & breui ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, vel cominus vel eminus pugnet.* pro cultro Liuius libr. III: *Strictum erat telum (dixerat antea, ab lanio cultro arrepto) tenens, respersusq; ipse cruore tota in se castra conuertit.* Falce; idem lib. XI: *Iere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus, gesisq; binis armati.*

Telum.

Idem  
contra  
Pighium  
defensus.

*Imperator (Africanus) ipsum respiciens supra se cubantem, vel hunc, dixit. ita meus, ita vulgati, ita Plutarchus Mario, inquit interprete Cruserio: Et cū sermo aliquādo esset a cæna illatus de Imperatoribus, atq; ex conuiuis vnus, siue serio ambigeret, siue assentandi causa, rogaret Scipionem: quem nam post ipsum pop. Rom. talem ducem & principem esset habiturus? Scipio manu humero Marii, qui supra eum cubabat leuiter percussio, hunc fortasse, inquit. Pighius tamen e duobus Manuscriptis immutauit: infra cubantem. quo motus non exputo. an putauerit summum locum dignissimum? non adfirmo. Hoc scio, Medium dignissimum fuisse, & Imperatoris. docuerūt multi: allusit Minutius in Octauio: Et cum dicto eius ad sedimus: ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent, nec hoc obsequii sine, aut ordinis, aut honoris: quippe cū amicitia pares semper aut accipiat, aut faciat. Satis habes pro Panegyrico nugas; pro laude, culpas. Vale nobilissime Vir.*

*Iuuenalis aliquot loci emendati. insuper varia lectiones in duobus versib. Sicambrum caesaries. Prostare. Fluctus Oceanus. Seneca vetus scriptura in transitu defensa. Machera Hispania. Grecis in conuiuiis saltare consuetudinis honeste, non Romanis. Horatii locus. Mos reorum. Rudere suum.*

EPISTVLA V.  
MARTINO CRVSIO.

**I** quando Schola nostra humanitatis studiis flouit, nunc maxime floret. multa claraque exempla sunt. instar omnium tu doctissime Crusi. Quid enim fugientis vel Græciæ, vel Romanæ  
vetu-



vetustatis, quod te fugiat? quid amabilis nouitatis quod lateat, atque ad vetera non componas? & monumenta tua quis nescit? quis nomē, nisi qui Musas? Ideoq. nec Dī sinūt, vt alium mihi super aliquam multis in Iuuenale Notis capiam iudicem. quidquid sane pronuntiabis, sanum mihi factumq. erit.

## Satyra IV:

*Tanquam de Geticis aliquid, toruisque Sicambris. Dicturus.* Iuuenalis  
 Manuscriptus meus; *tortisq. Sicambris.* non male, magna correctus  
 illorum commendatio a caesarie. ipse noster infra Sat. XII; Iuuenalis.

*Cerula quis stupuit Germani lumina, flauam  
 Caesariem, & madido torquentem cornua cirro?*

## Martialis:

*Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.*

Et alii, quos infinitum sit adferre,

## Satyr. VI,

--- tunc nuda papillis

*Constitit auratis.*

MS. melius, *prostitit ornatis.* verbo sollemni ad hanc rem.

Post multa,

--- iam cognitione peracta

*Præfectura domo Sicula non mitior aula.*

Dium Fidium appello, quis doctorum exinde hunc locum recte & ordine capit? vnus meorū cum vulgato Griph.

Anno 46, parata

*Præfectura domo Sicula, &c.*

alter vero: *Præfectura domus Sicula.* Rectissime, & vnice ad Iuuenalis mentem,

Statim;

*Aut animæ: tanti est querendi cura decoris. ambo mei:*

*Aut animæ tanti anquirendi est cura decoris.*

## Satyr. XI.

V. *Qualis in Oceani fluctu testudo nataret. ambo: Qualis in Oceano fluctu.*

Optime. sic paulo post; *Littore ab Oceano Gallis venientibus & Dis.*

Senecæ  
lectio fir-  
mata.

Fluctus Oceanus, vt Græcia iuuentus, Gallia mulier, & Hispania machæra. Senec. de Benefic. lib. v. Qui inquit; *Nā galeam illam si videres, cognosceres. Machæra enim Hispania diuisa. caue auscultes doctissimo Brodeō, emendenti machæra Hispanica, imperitè.* Ibidem:

--- ille fruatur

VI.

Noua le-  
ctio.  
Elegans  
locus a-  
pud Ar-  
nob. adu.  
gent. li. 2.

*Vocibus obscenis, omniq̄ue libidinis arte,*

*Qui Lacedæmonium pedemate lubricat orbem.*

Quod dici solet: Africa semper aliquid noui, cau e hodiernò de Africa capias, sed manuscriptis libris; velut ego post tot correctiones, an coniectiones dicam? ex antiquissimo meo monstrum pario nouum. nam quod Domitius, Merula, Valla, Turnebus *Pytismate*, Politianus *Pitylismate*, Flauius, *poppyismate*, Alciatus, *pyreismate*, Brodæus *pedemate*, Mercurialis *proptyismate*, Muretus *Petteumate*, Lipsius vero *pygismate*, nec vola, nec vestigiū in meis. liber quem laudo habet;

*Qui Lacedæmonium pede nudo lubricat orbem.*

Scriptura noua, non visa, nō lecta haftenus. Video quid ad confirmationem dici possit; sed vereor vt solide satis. Mos Græcorum in conuiujs saltare. Probus Epaminonda: *Scimus enim musicen nostris moribus abesse a principis persona: Saltare etiam in vitijs poni. quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur.* Vnde & Homerus saltationem & cantationem ἀναδῆματα δαίτῳς, vocauit. etiam nudos. præter Athenæum Cicero in L. Pisonem: *Cum collega tui, inquit, domus cantu, & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in conuiuio saltaret: in quo ne tum quidem, cū illum suum saltatorium versaret orbem, fortuna rotam pertimescebat. Hic autem,*

non

non tam corcinnus heluo, nec tam musicus, iacebat in suo Graecorum fœtore & vino. nec aliter capio Horatiũ ode penult. lib. I.

Nunc est bibendum, nunc pede libero  
Pulsanda tellus.

Quod tamen apud Romanos summæ infamiæ. Probus dicto loco. Hinc Cicero Gabinium, & Catilinam; Cato Murænam saltatores vocarunt: hinc idem Apronio Verrin. VIII. obiicit, quod accubante prætextato prætoris filio, in cõuiuiõ saltare nudus cæperat. Et inimici Deiotari referente Tullio, his verbis: *Quid, inquit, deinde furcifer? quo progreditur? ait letitia Deiotarũ elatum vino se obruisse, in conuiuiõ que nudum saltasse.* Et Velleius Plãco, *Quod caruleatus & nudus, caputq; redimitus arũdine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset, in conuiuiõ.* Itaq; Poëta. Sed desino accommodare, teq. dubium dimitto dubius ipse & incertus. Redeo in lineam & gradum.

Vide in  
Pison.

Catilin.

2.

Pro Mu-  
ran.

## Sat. XIII.

--- Nemo dolores

VII.

*Fingit in occasu, vestem diducere summam* Contentus.  
Nugantur hîc interpretes. Optimus meus MS. corrigit,  
--- nemo dolores

*Fundit in hoc casu, vestem deducere summam* Contentus.  
Certissime. ait Poeta, nemo in funere fundit dolorem, contentus dicis gratia deductione vestis commouere alios. Respexit ad morem reorum; quibus ad inuidiam aduersario creandam, & iudicem commouendum sollemne erat deducere vestem, nudare corpus, ostendere cicatrices. Cicero II. de Oratore: *Sensi equidem (inquit Antonius) tum magno-  
pere moueri iudices, cum excitavi maestum ac sordidatum senem,  
& cum ista feci, quæ tu, Crasse laudas, non arte, de qua quid lo-  
quar, nescio, sed motu magno animi, ac dolore, vt discinderem tu-  
nicam, vt cicatrices ostenderem, cum C. Marius marorem ora-*

tionis mea praesens multis lacrimis suis adiunaret. Pluria exempla suppeditabit Liuius, & insigne lib. XLV.

Satyr. xv:

IIX.

*Et cum remigibus grunisse Elpenora porcis.*

Proba haec scriptura; nescio tamen quid noui denuo iaciat codex quem saepius laudavi, & cui plurimum apud me fidei, exprimit *rutisse*. diu cogitavi, nec excogitavi an *rudisse*? Rudere enim porcorum siue suum. Lucillius lib. VI. apud Varronem & Nonium.

*Haec, inquam, rudet e rostris, atq. herlitabit. at versus peccat.*

*Noctium Atticarum scriptori Agellii nomen firmatum. An capitulum argumenta ipse scripserit, dubitatum. Gallus Auienus recensuit noctes, quae aliquot locis emaculatae, imo auctae. Habere. Cogere. Attoniti. Obstiti. Alumne igni resistit. Imesis familiaris Lucillio. Cur Theseus Neptuni filius appellatus?*

EPISTULA VI.

HENRICO STEPHANO.



Go ne vt ad cuiusquam iudicium in Agellii Noctibus prouocem quam ad tuum? vix me hercle si ab inferis redeat Gallus Auienus. nec grauate sedebis; cum ipsius auctoris causa; qui immensum tibi debet; cum mea; quem & obuia comitate, iam nuper in nudinis excepisti, & munere lectissimorum Schediasmatum honestiore dimisisti.

Agellii  
nomen.

Manuscriptus Codex, quem laudabo, quamuis vix ante ducentos annos exaratus, tamen optimae notae vt ferè minima maxima a doctis editarum obseruationum fideliter exhibeat, in frontispicio noua ac mira libri inscriptio; est: *Agellii P. Noctium Atticarum lib. XIX, qui supersunt cum argumen-*

*argumentis Gallus Auienus VC. RC.* Tria eruas. Primum Noctium auctori nomen Agellium, & cognomen fuisse. nam elementum P, tale innuere videtur. alterum, non prius codicib. exstitisse capitum argumenta, vt propterea nec ab Agellio sint. nam statim initio libri primi incipit: *Agellii P. noctium Att. lib. I, cum argumentis incipit feliciter.* Et decimi libri Agell. *lib. d. sine argumentis.* Tertium, Auienum virum clarissim. recensuisse Noctes: ita enim interpretor has Notas VC. RC.

Gallus Auienus.

Lib. II, Cap. xxix.

*Auicula est parua, nomen est cassita. habitat nidulaturq. in segetibus, id ferme temporis, vt appetat messis pullis iam plumantibus. Ea cassita in sementes forte concesserat tempestiuiores.*

In Agellio aliquot emendationes.

I.

Scriptura bene constituit, meus tamen pro, *habitat*, edit, *habet*; pro, *in sementes forte concesserat*, *concesserat*. vtrumque bene, & oppidò eleganter. nam *habere*, est habitare Plauto, Ciceroni, & cui non? Congerere vero nidificare, Seruio auctore ad istud Virgilii,

--- notauit

*Ipse locum, aëria quo concessere palumbes.*

Lib. v. Cap.

*Sed consuluisse vniuersas dicit, quasi attonitas, & obstipidas delinimenti ad origines usq. vocis permanantibus.* Cui suspicio insanae scripturae? meus turbat. *quasi attonitas & ostitas.* fallor? an me ludit amabilis insania, legerim, q. *attonitas & obstitas.* Attoniti enim propriè sunt, quorum mens, & corpus, aut fulminis, aut incredibili pauore vel nouitate, obstupescit. itaque vt cresceret oratio, addit, *& obstitos.* Obstiti autè violati attactiq. de cælo, vel vt Cincius, ii qui deo, deaque obstiterint, id est qui viderint, quod videri nefas esset. Considera iam quàm adpositè possit transferri.

II. Ita & vet. edit.

Lib. x, Cap. x.

*Decemuiros Bruttiani verberauere. meus perpetuo Brettii-*

III.

C

ani, Græco more. didici a doctis in Liuii Manuscriptis vbi que scriptum, *Brettii*.

Lib. xv, Cap. i, fine verborum *Quadrigrarii*.

IIII.

*Ignem admouit. satis sunt diu conati: numquam quiuerunt incedere, ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine in margine MS. alii quidam legunt, albumine. quique illi fuerunt, cerebrum excussit, quod de alumine dixerat, ignem non metuere. videbatur falsum, ideoque albumen e Plinio substituerunt, an recte non huius loci. passiuam scripturam confirmat Ammianus libr. xx. Persæ assiduè malleolos atque incendiaria tela torquentes laborant in cassum: ea re, quo humectis scalis, & centonib. erant operta plures materia, alia unctæ alumine diligenter, ut ignis per eas laberetur innoxius. plura nõ ingero, quæ breui ad Ammianum Marcellin. edo ex Strabonis lib. xv, Pausania, aliis.*

Lib. vii, cap. ii, in Ennii versu:

*Hannibal audaci cum pectore dehortatur.*

MS. cum Nonio, *de me hortatur*. tmesi figurâ; quam Ausonius Epistula ad Theonem Lucillio domesticam dicit.

Lib. xv, Cap. xxi:

*Neptuni filios dixerunt, Cyclopa & Cercyona, & Scyrona & Lestrygonas.*

Auctior MS. *Lestrygonas atque Thesea*. an legitimè, non disputo. hoc calidus scio, ob fortitudinè Neptuni F. Thesea audiisse. tamen quid huc? Tu arbiter esto Henrice Stephane.

*Colui industria. Apuleii locus desperatus, nouè tentatus. alter emendatus. Siphones.*

EPISTULA VII.

PETRO CVLVIO.



Vem locum in Apuleio desperatum pronunciaſti Petre Colui, cum ad te collyriis nouè adhibitis tentatum

tatum, etiam tamen forte an adfectum amicitiae contrahenda mitto. iure. tanta namque in probissimo scriptore castigando industria, tanta in explicando eruditio, ut me hercule

--- si linguas decem

Habeam, vix habeam rem satis qui delucent. Vide igitur fine Apologiae secundae:

Apuleii  
locus de-  
speratus.

*Si in omnibus non modo criminibus, verum etiam male dictis procul a culpa Philosophiae tutus sum, si Philosophiae honorem, qui mihi salute mea potior est, nusquam minui, imò contra ubique cum septem panis eum tenui.*

In istis verbis duplex mihi mendum: alterum in obseruatum tibi doctissime Colui. nam, *procul a culpa Philosophiae tutus sum*, quid sibi vult? omnino legendum, *a culpa magiae*. Omitto multa, quae dici possent, vel in totis Apologiis, quid crimini magis datum, quam magiae crimen? Et hic vulgata si placeat, cum concludit bonus scilicet orator praetereat tamen. hoc primum. Deinde in locum horum, *si cum septem panis eum tenui*: tu Colui substituis coniecturam, *si cōseptum pinis*. quo quid velis explica. nam aequè cum ingnarissimis ignoro. ductum literarum respiciam: legerim: *si in incepto te vanissimum tenui*: aut, *si conceptu te vanissimum tenui*. *vanissimum*, dolauit tō paniseum. forte an errauit librarius in *b*, & *p*, affinitate. iam vero mutuuum facere *b*, ac *v*, norunt, qui norunt quid distent æra lupinis.

Lib. de Dogmate Platon.

Idem emendatus.

*In media namque regione oris nares natura constituit, quarum symphonia odor cum spiritu comeat.*

Quae haec amabo, *symphonia*? animaduertit popularis tuus Bonau. Vulcanius, vir vtriusque linguae in paucis peritus, latere quid aliud. legerat, *bifori via*. optime ad sensum, pessime ad verba. vulgata placeat, *quarum siphonibus odor cum sp. c.* quod mihi amicus meus acuti ingenii iuuenis Ant. Boudanus Gallus probauit. erroris causa in procinctu. Siphones

sunt fistulae, per quas aqua fluit, a sono, quem quodammo-  
do exprimunt dictae. Iuuenalis:

*Effigiemq; dea longis siphonibus implent.*

Vnde noster eleganter, hoc est more suo, huc traduxit.  
nam nares vicem siphonum funguntur. vnde sit *χετύματα*  
Polluci aliisq.

*De Nonio quid dictum. Veterum quorundam  
apud illum fragmētis facta medicina. Quod  
de nata est. It visere. Im, pro eum, Accio apud  
Macrobiū restitutum. Capeduncula. Huic  
est animus propitiabilis. Dubitatum de verbis  
Nonii.*

EPISTULA VIII.

FRIDERICO SYLBURGIO.

**T**eratò venio, Friderice Sylburgi. Quem puerum  
penè ad Nonii quaedã olim bene docueras, amabò  
doceas & adulescentem. Paucula sunt quæ mittimus. nam  
de Nonio in vniuersum ita censeo, esse reuera suauem, sed  
immunem ingenii male-feriati lusum. Etenim quis vel in-  
uitus Musis veteris cuiusdam Poetae, ac Historici male mul-  
cata, aut deposita verba non torqueat aut retorqueat? non  
vt vt animet? Et tamen si quid horum præstitimus, pulcrè  
nos discedere putamus, atq. quasi ob ciueis seruatos laureo-  
lam inde quarimus. Tu ista vide; quæ siue in laudes, siue  
culpas transcripseris mihi æquè gratulabor. cum & calculo  
iuuari, & limâ corrigi ab eo, cui immensum quatum bonas  
litteras deberi boni, ac grati omnes fatemur, non præclarū  
modo, sed multimodis honorificum existat.

De No-  
nio.

Pacui-  
us emen-  
datus.

Ait apud Nonium in *Consternari* Pacuuius Peribæa:

*Consternata anima, ex pectore hac, & voluere*

*Consilium subit omnes, quod de nata est modo.*

Quo



*Quo pacto inimicis mortem, & huic vitam efferas.*

Scio quid doctis viris hic placuerit. at morem maiorum dixerim non aduerterunt: *consternari*, hic esse erigi, cuius gratia Nonius hoc laudat fragmentum. Veteres libri habent, *Consternare animæ. & subito omnis. Lego;*

*Consternare anima, expectora hæc, it voluere*

*Consilium subito mens, quod denata est modo,*

*Quo p. i. m. & h. v. adferas.*

Peribæa speculum humani actus & miseriæ. Sermo est inter coniuges: quorum filia, an per vim fortassis rapta, magnum matri cordolium dedit. maritus vxorem animi consolatur ægrâ, ac ait; *Erigeris mea anima, expectora, hoc est, ex animo hoc modo eiice. nam totus in eo iam sum, quod attinet quod de filia est, quo pacto inimicos vlciscar, & nam recipiam postliminio. Eleganter dictum, quod de nata est modo, more Ciceronis, Terentii, Plauti Asinaria:*

*Quod illa aut amicum aut patronum nominet,*

*Aut quod illa amicam amatorem prædicet.*

*It voluere, est parat voluere. vt Terentius, it visere.*

In Feruit.

Afranius Epistula: *Ego misera miso clandestinorum pietor fere matera menstrua feruere.* Forte an, *Ego misera nisu clãdestino rumpier, torpere natura.* (nam veteres vulgati *matura menstrua feruere.* Quædam puella occultum suum hinc post Veneris res refert nixum verbis, quæ a sacris arceat Vesta. *rumpier, pro rumpebar, siue defatigabar, &c.*

Afranius  
restitu-  
tus.

In Rostrum.

Lucillius Satyr. lib. ix; *Arripio & rostrum labe, atq; hoc re-feriat im Percutio.*

Lucillii  
versus.

Legerim: *Arripio & rostrum, labiasq; hæc feriatim Percutio.*

Aut si mauis cum amico meo,

*Arripio & rostrum labiasq; huiusce viri, atq; im*

*Percutio.*

C 3

*Im, est eum.* quod restituendum quoq. L. Accio apud Macrobius Saturnaliorum. 1, cap. vii: vbi docti viri vulgauerunt: *Eumq; diem celebrant: per agros vrbesq; fere omnes.*

Manuscriptus, quem mihi commodauit doctissimus & humanissimus vir Leonhar. Engelhardus, *Imq; diem celebrant.*

## In Factio.

Cæcilius. Cæcilius Philumena: *Lata eorum occultabat factio.* Mirum in hunc locum citet Agellius lib. 2, cap. xxiii, in Plocio. *Nam opulento, inquit, famam facile occultat factio.*

## In Betere.

Pacuius correctus. Pacuius Hedo. *Si resto pergitur, iam si ire conor prohibet betere.* Placuit Iunio; *Si resto pergit iter, tum si ire conor prohibet betere: mihi, Si resto d'urget iter, iam si ire conor prohibet b.*

## In Propitiabilis.

Ennius Cupiuncula: *Huic est animus propitiabilis, ita & adolabilis, id est, sine dolore.* Iunius corrigit, Ennius Capeduncula: *Huic est, &c. non meminēs sum me legisse, Ennium scripsisse Capedunculam, aut Cupiunculam, aut Cupunculam. tentauerim, Ennius: Capeduncula: Huic est, animus propitiabilis.* nescio quid sub se latens & priscum habeat, quo alludere videatur Cicero iii. de Natur. deor. *Quando, inquit, me in hunc locum deduxit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure Pontificio, & more maiorum, Capedunculis iis, quas Numa reliquit.* Et Octauius in Minutio: *Litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia.* Reliqua verba nec Ennii, nec ego capio. quū enim adolabilis idē quod sine dolore, & non potius, ad adolendum?

*Plauti Asinaria vulgata lectio contra viros doctos seruata. Conclamare mortuos nō apud Romanos modo, sed Græcos quoq. moris. Illicet clamabat presica. Supremum comitatus funus.*

EPI-

## EPISTVLA VIII.

IANO DVZÆ FILIO.



Ide virtus quam potenter possit. non visum te, Iane Duza, ignotus ipse diligere cœpi, cum propter Nobilissimi parentis tui erga literas ardens promerendi studium, tum eximias ingenii tui dotes, sæpissimè a vestratibus mihi prædicatas, & vero reâse iam nuper in Plauto comprobatas. Ea propter & adfectus nostri testandi, & amicitia constitutendæ misimus proximè iuuenilia nostra in Velleium; iam vero seriò confirmandæ, istud Plautinum. quod sub acris iudicii tui acumen vt reuoces atq. iteratâ limâ honestes, magnopere obtestamur.

*Asinaria Scena; Cur me retentas?*

*P. saluere me iubes, qoi tu abiens adfers morbum.*

*A. Mater mihi supremum tua dixit, domum ire iussit.*

Viri docti, & pater tuus: *mater mihi supremam tua dixit.* atque referunt ad iudiciorum ordinem. Non ad sentior vulgari scripturâ mihi sanâ. Opinor potius ad ludere Comicû ad ritus funerum. circa quæ & hi obseruatione eximii. Mortuos Romanis non domi modò, sed etiam inpositos rogo postremùm conclamabant, deinde comburebant. testis Plinius & Seruius. quod a Græcorum fere non abhorret. nam hi ter mortuos euocabant, Athenæo auctore & Homero. neque eos modò qui in patria, sed peregrinâ quoque terra mortem obierant. Tzetzes;

Plauti  
vulgata  
scriptura  
defensa.

*Olim morientes in terra aliena*

*Qui simul peregrinabantur cum ipsis, ter euocabant*

*Vt Homerus docuit, in libro Olyssæa.*

*Hoc autem faciebant, velut memores amicitia;*

*Atque si ita relictus esset, ad vocem concurrebat.*

*Cadauere vstulato, ceterisq. omnibus rite peractis, præ-*

fica alta voce pronunciabat, *Ilicet*, quod Virgilius vi *Æneid.* Seruio teste, hoc versu,

*Lustravitq. viros, dixitq. nouissima verba.*

nominat, *nouissima verba.* quibus prolatis, tum demum cuncti qui comitati funus ad se redituri extremum vale clamabant: Varro Logisterico. Virgilius *supremum* vocat lib. ii. *Æneid.*

*Condimus & magna supremum voce ciemus.*

Huc respexisse Plautum adfirmo. nam cum ait, *supremum dixit*, quid aliud intelligit, quam cum Virgilio *extremum vale?* cum, *domum ire iussit*, quam, *Ilicet?* *Ilicet* enim est, ire licet; verbum sollempne funerum, non ludiciorum solum. Et vnice firmat subsequens Philenii responsio, inquit; *Acerbū funus filia faciet.* Atque ita mihi videtur. aliter fortean tibi. Mihi, vt Lucretius ait, *Non ita certandi cupidus, sed propter amorem;* *Quod te imitari aueo. quid enim contendat hirundo Cygnis?*

*Ciui Romano capitis pœnã subituro moris velare caput? non videri. refutati qui contra ibant. Collectanea, qui capita antiquitus velabant. moris parte vestis. Luteus color nuptiarum, & candidus. Ratio reddit a cur noua nupta. Pomponius apud Nonium emendatus. In Persio varians lectio.*

EPISTVLA X.

CASP. VLRIC. A R A M M I N G E N.

**R**gon' carissime cognate in studio pertendis & amore? ita viam, valeamq;, vt iucundissimæ mihi super hac re nunciæ tuæ litteræ. litteræ plenæ amoris, Bonæ mentis, & antiquæ doctrinæ Notis. mactæ virtute hac, & diligentia. perge ac offirma animum contra rupices istos, & tricones, aude inferere nomen famę non moritura, benè magnis

gnis iuuatibus Dîs. Quæris ciui Romano capitis pœnã subito morisne velare caput? quæstio plana, nec difficilis explicatu. Litterati nostri vnanimiter annuunt. probât hoc Liuii loco lib. 1, *Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem iudicent. Si a Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: Si vincent, caput obnubito, infelici arbori suspendito, verberato vel intra pomerium vel extra. Eò & me olim duxerunt, at seduxerunt; iam discedo ab iis,*

*Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.*

Et nego. Liuii loco quis doctior aptiorque interpres Cicerone? at is pro C. Rabirio pro me agit, & ait: *I licitor, colliga manus: quæ non modo huius libertatis, mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numa Pompilii: sed Tarquinii (Tullii Hostilii fuit) superbissimi atq; crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina: quæ tu homo lenis, ac popularis libertissime commemoras. Caput obnubito, arbori infelici suspendito. Quæ verba, Quirites, iam pridem in hac Rep. non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt. Et ibidem: Carnifex vero & obnuptio capitis, & nomen ipsum crucis, absit non modo a corpore ciuium Romanorum, sed etiã a cogitatione, oculis, auribus. Vides quid semel iterũve factitatũ, quid exinde obseruatum. Itaq; idẽ ipse Verri inter alia hoc quoq; crimini dat, quod ciues cõtra consuetudinẽ inuolutis capitib. ad supplicium duxerit. Verrin. v: *Quid de multitudine, inquit, dicemus eorum qui capitibus inuolutis in piratarum captiuorũq; numero producebantur, ut securi ferirentur? Et statim: Post hæc communem famam non mitior in supplicio, sed diligentior esse cæpit: capitibus inuolutis ciues Romani ad necem producere instituit. quid ita? indicat in eadem: Itaq; alii ciues Romani ne cognoscerentur, capitibus obuolutis e carcere ad palum, atq; ad necẽ rapiebantur. Vera igitur, quam dixi, opinio nostra. frequentissimi tamen Romanis vsus velatio siue opertio capitis. cuius per Satyram quasi lubet cogere quædam prætermissa,**

D

aut neglecta potius iis, quibus hoc pontificium. Velabant & operiebant se veteres vel propter sacra, vel subitam, creperam, aut desperatam aliquam rem, aut malum. Propter illa; Veneraturi Deos. Plautus Amph. Scen. *Spes atq; opes:*

*Inuocat Deas immortales ut sibi auxilium ferant,*

*Manibus puris, capite operto.* idem Curcullione. respexit huc Titinnius apud Nonium, *lauit Psaltria:*

*Manus lauite, mulieres & capita velate.* Lucretius lib. v;

*Nec pietas vlla est velatum saepe videri*

*Vertier ad lapidem.*

Ouid. i. Metamorph.

*Et velate caput, cunctasq; resoluite vestes.*

Tibullus lib. i, Eleg. v:

*Ipsè ego velatus filo tunicisq; solutus*

*Vota nouem Veneri nocte silente dedi.*

Vnde apud Suetonium Vitellio cap. 2, legas: *Idem (Vitellius) miri in adulando ingenii, primus C. Casarem adorari ut Deum instituit: cum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, &c.* Velabant autem non peculiari quodam, vt quidam opinantur, his vsibus destinato velamine, sed plerumque parte vestis: Seneca Hercul. Furent. vers. CCCLV:

*Namq; ipsa tristis vestis obtectu caput*

*Velata, iuxta praesides adstat Deas.*

Ioseph. lib. vii. de bello Iudaic. *Vespasianus cum dicere adhuc vellent, silentii signum dedit. magnaq; omnium quiete facta, surrexit, & amictu magnam partem capitis adopertus, sollemnia vota celebravit, idemq; fecit Titus.*

Flamines, Fetiales & Augures. Varro de Ling. Lat. *Flamines quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti.* De his Cicero & Liuius lib. i: *Augur ad laeuam eius capite velato, sedem cepit.* De istis idem eodem loco: *Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur,*

tuntur, capite velato (filum lanae velamen est) Audi Iupiter, &c.

Imperatores pro Rep. se deuoturi. Liuius lib. 8, de Deco, Macrobian. Saturnal. 3; Cicero de Natura Deorum II: At vero, ait, apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam Imperatores etiam seipfos Diis immortalibus, capite velato, verbis certis pro Rep. deuouerent.

Tribuni plebes consecraturi bona alicuius damnati: Cicero pro Domo: Vidimus hoc idem Cn. Lentulo censoribus tribunum pl. facere: nunquid igitur is bona Lentuli religioni obligauit? sed quid ego veteres? tu, tu, inquam, capite velato concione aduocata, foculo posito, bona tui Gabinii, cum regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumq; donaras, consecrasti.

Ver sacrum facturi, natos vere sacro. Festus: Sed cum crudele videretur, pueros ac puellas interficere, perductas in adultam aetatem velabant, atq; ita extra fines suos exigebant.

In Nuptiis (libens ad numero sacris propter auspicia) Noua nupta. Tertullianus lib. de Virg. veland. Etiam apud Ethnecas velata ad virum ducuntur. Hincq; Aelius & Cincius nuptias dictas putabant, quia caput nubentis obuoluatur flameo, hoc est, velo coloris lutei. nam luteus color Nuptiarum proprius. Plinius lib. XXI, cap. VIII, aliique. Immo & candidus, obseruauit e Cassiodori lib. IV, Epist. I: Quapropter, inquit, Salutantes vos gratia competenti, iudicamus nos venientibus legatis vestris, impretiabilis quidem rei, sed more gentium suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decet esse nuptiales. Ratio porro ritus non pudor solum, sed etiam ut eo velamine nupta obnoxiam se viro ostenderet. Tertullian. dicto libro: Ipsae enim sunt quas subiectas esse oportet: propter quas potestas supra caput haberi debet. velamen iugum illorum est. Dixi praeterea propter rem subitam aut desperatam. Vnde Plautus Mostellaria, Scena, Iupiter supremus:

— TR. quin etiam illi hoc dicito,  
Facturum me, ut etiam adspicere ades audeat

D 2

*Capite obuoluto, ut fugiat cum summo metu.*

Idem, Scena sequent.

TR. *Caue respexis. fuge, atq; operi caput.*

Pænulo, Scena; *Quid est quid multis.*

--- *quin si tu vetes*

*Operire capita, ne nos Leno viderit.*

Hinc vbi Pomponinus apud Nonium Operibo:

*Præfecto, Morum pater at est, negato esse, hic me operibo. legē-  
dum; Præfecto Morum. pater adest. N. St. negato esse hic me,  
operibo caput. Liuiusq. de Appio lib. III: Appius vita metu-  
ens in domum se propinquam foro, insciis aduersariis, capite ob-  
uoluto recepit. Hinc Petronius: Tarde, ait, immo sero intellexi,  
me in fornicem esse deductum. execratus itaq; anicula insidias o-  
perui caput: & per medium lupanar fugere cæpi in aliam partē.  
Ibidem: Operuerat Ascyltas pallio caput, ammonitus scilicet  
periculosum alienis interesse secretis. Vnde & supplices. Vir-  
gil. sæpe. lib. XII, Æneid.*

*Exorat pacem Diuum,*

--- *Velati lino & verbenis tempora cincti.*

Velleius lib. poster. de Lepido: *Lepidus, & a militibus, &  
a fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam con-  
fluentium ad Cæsarem turbam latens, genibus eius aduolutus est.  
In funere filii, Plutarchus in Ρωμαίωνισ, quique efferebant fu-  
nus: Persius,*

*Hesterni capite induto subiere Quirites.*

Vbi, quem sæpius laudo, liber, ob nupto subiere Quirites.  
non male. vt non tam alludat morem libertorum in fune-  
re, & vero ostendat insuper funus velatis extulisse capitibus.  
Deniq. obituri mortem voluntariam. Horatius II, Sat. III:

*Non male re gesta cum vellem mittere aperto*

*Me capite in flumen.*

Aut violentam. Suetonius Cæsare cap. 82: *Vtque (ait) a-  
nimaduertit Cæsar undiq; se strictis pugionibus peti, toga caput*  
ob-



obuoluit. Idem de Nerone, cap. XLVIII: *Vt erat nudo pede atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit ad aperto capite, & ante faciem obtenso sudario, equum ascendit.* De Pompeio Plutarchus: *Ille ambabus manibus faciem toga intexit, nec quidquam indignum se locutus est, nec fecit.* Velleius de Cassio: *Existumans hosteis esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamq; cervicem interritus liberto præbuit.* Tantū sciui. si quid tua causa; pactum habe ab obnoxio & volente. Salue.

*Solini complures loci emendati. Iphitus Elius: Antonii Del-rio laus. Iphiclus Herculis filius. Assasue asta Tibia. Astare. Terremotus Tiberii et ate. Hylas. Fellitare.*

## EPISTVLA XI.

SEBASTIANO BLOSSIO PHI-  
losopho & Medico.

**E** Tiam meministi nostri Blossi? vix credo. nam haftenus nihil ad nos. Fidem tuam adpello, sic cine decuit? sic cine inter nos discessum? hercules ne grauiora audias, maculam istam numero elue, & simul super his Solini iudicium tuum perscribe.

## C A P. II.

*Quippe certamen Olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermissum, Iphitus filius eius instaurauit, post excidium Troiæ anno quadringentesimo octauo.* Quid audio? Iphitus Herculis filius? tempora vide, & Pausaniam, qui Iphitum Hæmonis filium facit. Manuscriptus meus, *Iphitus Etius instaurauit.* Certum nō arbitrarium esse, legendum, *Iphitus Elius instaurauit.* Satis ad hoc probandum Velleius libro priore: *Clarissimum deinde, inquit, omnium ludicrum certamen, & ad excitandam corporis, animiq; virtutem efficacissimum, habuit auctorem Iphitum Elium. is eos lu-*

I.  
Solinus  
emenda-  
tus.

Eliacor.  
prior.

dos mercatumq; instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires DCCCXXIII. hoc sacrum eodem loco instituisse fertur ab hinc annos ferme ∞ CCL. Atreus, cum Pelopi patri funebres ludos faceret. quo quidem in ludicro omnis generis, certaminum Hercules victor exstitit. Miror reuerendum Antonium Del-rio, virum nunquam sine præfatione laudandum, ac cui auctor hic multis nominibus multum debet, non obseruasse. Herculi filius fuit Iphiclus, non Iphitus, teste Palephato Hydra, aliisq.

## C A P. I V.

- II. Varro in *Relatione prodigiosa fortitudinis* annotauit *Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuisse*. Vir doctissimus lib. 2 Saturnal. cap. XI, legit, *Tritanum Samnitium armatura fuisse*. Ex meo eruo & auctiorem lectionem, & veriorem: *Tritanum armatura Samnitium, gladiatorem natura fuisse*. nec Lipsi ratio, quod ait, neminem. nam gladiatorem esse, turbat. Duo monet Solinus, *Tritanum, & natura*, hoc est, propter vires corporis, quæ in gladiatore maxime requiruntur, quosq. Solinus statim enumerat, gladiatorem fuisse, & armatura Samnitium vsum.

## C A P. XI, agit de Tibiis:

- III. *Siue Vascas; quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt*. Vir sui cui optimus doctissimusq. Turnebus lib. XVII Aduers. cap. XX, adfert quid probabiliter satis; nõ tamen dissimulo scripturam nostri libri: *Astas*. quæ si proba, intellegit *Assas* tibias, quæ siue voce, siue vt Seruius alicubi ait, *quibus canitur sine chori voce*. *Assa* autem & *Asta* eadem, vt *Assare* & *Astare*. Ennius apud Varronem:

*Subulo finitimas propter astabat aquas.*

## C A P. XXX.

- IV. *Asbystæ lasere viuunt: hoc aluntur, hoc illis dulce est. malim legi ex meo, hoc illis edule est.*

## C A P. XLIII:

*Nusquam*

*Nusquam autem toto orbe tam adsiduos terræ motus, & tam crebras urbium demersiones, quam in Asia esse, cladibus Asiaticis patuit, cum Tiberio principe urbeis duodecim simul una ruina ceciderint. MS. tredecim simul una ruina occiderint, quod magis probo. quamuis Tacitus Annal. II, duodecim urbeis occidisse adfirmate doceat; tamen cum Plinius quoq; tredecim oppidorum mentionem faciat, verosimile est Solinum, cui omnia inde sublecta, & in hoc secutum Plinium. Verba istius sunt lib. 2, cap. LXXXIII, *Maximus terræ memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Caesaris principatu tredecim urbeis Asiæ una nocte prostratis.* accedit quoq; Eusebius in Chronico, eas enarrans, non tamē sine suspitione mendii.*

## CAP. XLIV, de Hyla:

*In cuius memoriam usq; adhuc sollemni cursitatione, locum populus circuit, & Hylam voce clamat.*

*Meus: in cuius memoriam exinde tripudiatione sollemni, &c. commode ad historiam. etsi quis Hylas ille fuerit dissentiant scriptores; in hoc tamen conueniunt Prusienses festi celebratione vagas & saltantes Hylas, magna voce vocare. Strabo lib. XII, Diodorus, Valerius, Flaccus, alii.*

## CAP. XLVII:

*Quod (Hippomanes) si præreptum statim fuerit, nequam mater pullo ubera præbet fellicanda. Doctissimus & reuerendus Del-rio, probat scripturam MS. sui, vellicanda. diuinat tamen, fellanda. Placeat corrigi, fellitanda. quod pura puta scriptura, & pro eodem tum fellanda. Arnobius lib. II, *Exsugerent fellitandas mammas.**

*Belgarum laus. Plauti locus in dubium vocatus, & cōiectura leui castigatus. a malo querere. Litera M, sepius detracta, aut adiecta in Plauto. illius exemplum adductū ex Amphitruonis Prologo. Pacē aduenio. Lābinus notatus.*

## EPISTVLA XII.

## IVSTO POGHINO.

Belgarum  
laus.

Arro tibi Iuste Poghine. valde mihi arrisit opus amici tui, inuentione maximè. Et reuera ita est, Belgæ politioris literaturæ non regnū adfectant, sed reabsē hodie possident. Italos vide? vbi Politiani, Victorii, Manutii, & polituli illi Barbari fuerunt? Germaniam? Petroniana nota (sit inter nos) cunctis in ore & amore. Galli fortean intercedant. equidem merito suo. tamen ipse agnoscis, quam diu nihil abs tua gente ab hac mente. tu maecte, qui pertinaciter pertendis, atq; subacti ingenii tui monumentis iacentem patriæ gloriam erigere, & vero pristino statui restituere meditaris. Nunc sodes da operam, & Plauti hunc inspice:

Cistellaria, Scena; *Idem mihi.*In Plau-  
to con-  
iectura.*Postquam puellam eam a me accepit, illico**Eamdem puellam peperit, quam a me acceperat,**Sine obstetricis opera, & sine doloribus;**Item vt alia pariunt, quæ malum querunt sibi.*

Postremis hisce verbis nullus dum satis mihi fecisse videtur. nam quod Lambinus interpretetur; *Similiter atq; alia meretrices pariunt, quæ partus sibi supponentes malum sibi arcessunt inuento suo;* nã, ille suo more nugatur, ac suo sibi iumento Risum Deum arcessit. Nobilissimus vero Duza ad meretricium disciplinam referat, pace viri, quem existimo dixerim, aperte vim facit verbis. relegat, & dabit. Locus mihi suspectus de mendo. nam in primitus vulgatis codicibus ita concipitur;

*Item vt alia pariunt quæ malo querunt sibi.* Visa pedum via est. omnino placeat corrigi, *Quæ a malo querunt sibi,* hac sententiâ, ita eam peperisse vt alia, quæ furtiua suppositione, malisque artibus sibi liberum querunt, aut ita peperisse, vt  
alia,

aliæ, quæ a malo, hoc est, in vertendo alios iniuste, aurum, argentum, alia luçantur. Sequitur enim:

*Nam amatorem aiebat esse peregrinum sibi  
Suppositionem eius rei facere gratia.*

A malo quærere, est vt dixi, fraudando & decipiendo alios, sibi æs argentum comparare. ita Apuleius Asino aureo, æs de malo habere dixit: *Putas me, ait, æs de malo habere?* Et alibi Plautus, *Faciunt a malo peculium, quod nequeunt facere suo.* Corrumpendo versui litteram, quam obseruavi in hoc auctore nunc adiectam, nunc detractam. istius exemplum sit Amphitruo Prologo:

*Propterea pace aduenio, & pacem ad vos adfero.*

Sententiam aptam si amas, e veteribus mecum legas: *Propterea pacem aduenio.* Dixerat se metuere mala, (seruiles pœnas intellegit, vt interpretatur Duza, & cõfirmatur Menachmis, Scena; *Spectamen, bono*) ideoque & ad pacem se aduenire, & pacem adferre. *pacem aduenio*, phrasia familiaris nostro. ita Cicero, *abest officio.* Sallustius, *adigit iusurandum.* Lambinus vero hîc, cum bona sua venia, haueat, & valeat. Idem in Truculent. ait;

*Vt facilius alia, quam ille unde est, puerum alienum parit?  
Hac labore alieno puerum peperit sine doloribus.*

*Liuius libro primo emendatus ambigue. item  
Apuleius lib. v 1, de Asino. Dierecto. Diere-  
ctus. Nonii Marcelli locus. Statius obiter  
correctus.*

## EPISTVLA XIII.

ANTONIO BOVDANO.



Vem locum in Liuiio recte mihi emendare vi-  
sus sum, cum tui iudicii facio, amice Boudane.

E

Liuius e-  
médatus.

*Sunt qui ipsam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, decreto arma petisse dicant.*

Buslidianus liber, cum vetere Lipsii: *directo arma petisse dicant*. quam scripturam Nannius Miscellaneorum quinto defendit, & interpretatur. Lipsius vero quid lateat prope modum se scire ait; sed nullus explicat. veram scripturam puto; *dierectò arma petisse dicant*. Festus me docuit *Dierectum* per ἀντίφρασιν dici, malum diem, quasi minime rectum. Vnde Latinis (notauit Scaliger & nostra laude, & seculo maior) *Dierectum* intrare, quod Græci, εἰσφραρῆναι, & *Dierecta* abire, quod ἐν τρευθειν ἀπαφραρῆναι, hoc est, abire in malam rem. Sensus itaque Liuii erit: Virginem Tarpeiam in perniciem suam, malo suo, siue vt clarius dicam, malo die; Germanis, *Su einer unglückhafften stundt*/arma petisse. adposite. quamuis nihil displiceat Matthæi Klock, *dierecta arma*, vt Plautus, *Lembum dierectum*. Sequitur varam vibia, vt in Prouerbio est. Restituenda hæc vox interdicto vnde vi. Apuleio libr. vi. Misel. sed aliò significato; *Quæ vocis*, inquit, *excitu procurrens videt Hercules memorandi spectaculi scenam, non tauro, sed asino dependentem directe auiculam*. placeat scribi, *dierecte auiculam*. Graphice. nam *Dierectus* ad diem erectus, auctore Nonio in veterib. Manuscriptis. cuius locum iuuat integrum adponere. *Tonimus positum sonamus cum modo, a tono. Et, Tibinos a tibiis modos; Varro Eumenidibus; Sonitu matris Deum, tonimus tibinos tibi nunc semiuiri. Dierecti didi crucifixi, quia ad diem erecti. Varro Eumenid. Apage directe a domo nostra istam insanitatem.*

Item A-  
puleius.

Nonii lo-  
cus.

Scripsi in Apuleio cum Beroaldo, *vocis excita quod me admonuit Statiani Achilleidos II; Vndiq; in exilio sibi quisq; & sponte coimus. Sic vulgati quos vidi. Legerim, Vndiq; inexciti sibi quisq; & sponte coimus. Vale mi Bou-dane.*

Lactan-

*Lactantius emendatus. Mimus. Scurra mimarius, siue mimicus. Capitolini locus. Carminis de Pascha scriptura restituta. Myrta feminino genere.*

## EPISTVLA XIII.

GVLIELMO ANTONIO

Guerthæo suo.



Eto significes, quid de hac Lactantii nota existimes. nam vt doctrinæ tuæ, sic iudicio plurimum tribuo.

Lib. i Institut. cap. xxi:

*Quis hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid sanitatis? cum videat homines velut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu nimis lasciuus & ineptus esse videatur.* Lactantius emendatus. I. Michael Thomafius vir, cetera doctus, & diligens, tentabat: *in lusu minus sanus. frustra. correxerim: in lusu mimus lasciuus & ineptus esse videatur.* tanti vnus literæ mutatio. exulat hæc vox. & infra lib. ii, cap. xviii, ait; *Non religio in simulacris, sed minus religionis est.* rescribe, *mimus.* quod quoq; viro magno Petro Fabro in mentem fuisse iam monitus ingenue, rescribo.

Et Capitolino Maximinis, vbi legas; *Sed quum Maximinus interrogaret amicos quid minus scurra dixisset,* Capitolini locus. rectissime restituit V. C. Petr. Pithæus *mimus*, pessime sollicitauit *scurra*. Nam *scurra mimus*, hic est, quem Trebellius, & Vulcatius *scurram mimarium*; & Vopiscus Aureliano, *scurram mimicum* nominant. ait Vopiscus: *Vides quæso quam pauci sint principes boni, vt bene dictum sit a quodam mimo, (vulgar. mimico) scurra, &c.* Est autem *mimicus*, siue *mimarius scurra*, qui diçteria iacit, & funditat qualia *scurrae*, & *Vibicarii* in *Mimis* quoque vt Claudianus ait, *- letis risum salibus mo-* Scaligerum ad Manilium vide.

*uisse facetus. Redeo ad Lactantiū, aut potius ad carmen de Pascha adiunctum. inibi vulgatur,*

Venatii  
carmen  
de Pascha.

*Mista salix, abies, corylus, filer, ulmus, acer, nux.*

*Pythagorici libri Thomasi. meus, Myrta, salix, &c. quod ipsa veritas. Myrta veteribus in sequiore seculi non in usum. anima antiquitatis. Varro lib. IV, Murtatum a Murta, quod ea large fartum. Cato cap. CXXV; In urnam contundito myrtæ semodium.*

*Vulgata Liui lectio explicata, alia emendata. Rhenanus verè laudatus. Ausimus, pro Ausi sumus.*

## EPISTVLA XV.

MATTHÆO KLOCK.

Issentio a te, & Beato Rhenano super hoc Liuii loco, lib. II ab V. C.

Liuii lo-  
cus expli-  
catus.



*Sed curæ fuit, inquit, consulibus & senioribus patrum, ut imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.*

Rhenani  
laus.

Audiamus primum Beatum nostrum, virum doctrinâ, meritis, probitate, vere beatū, atq. sine alterius inuidia dixerim, qui multis præiuerit, imo iuuerit. is ait: *Mirum est cur huiusmodi loca non notentur asteriscis. nam verba ista nullo sensu dicuntur. Et nescio an seculo nostro quisquam hanc Liuianam sententiâ intellexerit. O securitatem lectorum! Onimiam securitatem enarrantium! imo nonnihil dubito an Clementianus & Flavianus Nicomachus Dexter, & Victorianus VV. CC. qui ante nos primam istam decadem emendarunt, locum hūc satis perceperint? Habet antiqua lectio; Imperio suo: in ceteris conuenit, nisi quod est illic, Permitterentur: in quo omnis sita est difficultas, pro eo deprehendi tandem scribendum, Remitteretur. ut sic legamus: Sed curæ fuit c. ac s. p. ut imperio suo v. m. remitteretur ingenio. Haftenus Rhenanus. tragœdias egit.*

Tu



Tu glossemate Liuium laborare pertendis, & rescribis, ut imperium vehemens, suo permetteretur ingenio. Suum enim ingenium ais nihil differre a mansueto. Hinc Sallustium dixisse; suo loco pugnam facere, Liuium lib. iv; Sua tempora expectare. Et hoc ipso libro; Tributum iniquo, & non suo tempore impetratum. acute nisi Palmerianū in modū. itaque nec refutatione opus. Scriptura mihi sana ac constituta, facilisque intellectus. qui est: Curæ fuisse senioribus patrum, ut imperium siue dictura per se, suo pte ingenio, indole, natura vehemens, homini ingenii mansueti, non efferati, immitis ut Appii, permetteretur. Lege præcedentia & valide probabis. Syntaxis & exempla in mundo cuilibet, ita alibi locutus; Bellum graue suis, & Annibalis viribus. De Dictaturæ vehementia Liuius ibidem & pleni historicorum libri.

Adferam iam aliud in quo ferè consentio.

Idem lib. xxxvii:

*Certare pro certamine cuiuslibet bonæ & artis ac virtutis ausi sumus cum parentibus quæq. ciuitas & conditionibus suis.* In eodem vetus scriptura adiecta.

Priscianus meus Manuscriptus: *Certare pro certamine cuiuslibet bonæ artis, & virtute ausimus cum parentibus, qua quæque ciuitas ausit a suis.* Emendandi ratio non difficilis, neq; tu male ad mentē Prisciani cōiecisti. *Certare pro certamine cuiuslibet bonæ artis, ac virtutis ausimus cum parentibus, ciuitas quoque conditoribus suis adistis, &c.* *Ausimus*, antique, pro *ausi sumus*. Sic Cato oratione pro L. Antonio, *Ausi*, pro, *ausus sum*, dixit: Sic alii *gausis*, pro *gausi sumus*. Exempla compluria suppeditat Priscianus libro nono. Hactenus.



# IN PRAEMESSA

IAC. I. N. SCHEGKI,

Epigrammata.

MARTINI CRVSII.

Ὡς τ' ἄλλα παμβόρος καταδίει χρόνος  
 ἔδει παλαμὰς καὶ βίβλους.  
 Εἴ τις δὲ ταῖς βοηθεῖ σπουδατικῶς,  
 ἢ σφάλματ' ἄρει δεξιῶς.  
 Δίχμος ἔσθ' ὡς ὠφελεῖν πολλοὺς γέλων,  
 ἐπαινεῖσθ' ἐν τοῖς σοφοῖς.  
 Πολλοὶ μὲν ἠὲ γέγοντο τῶτ' ἤδη κλέες,  
 αἰεὶ δὲ λοιπὸς τις πόνος.  
 Τὸν ΣΧΕΚΚΙΟΥ μέγιστος υἱὸς ἄριστος  
 ἐπαινετῶς δεξιᾶ δέχεται  
 ὡς αἰδ' ἀπαρχαὶ δεικνύουσι χησίμας.  
 Γ' ἈΚΩΒΕ βάλλ' ἔπω φίλος.

## LATINE.



*Tempus erodit vorax res ceteras:*

*Vetusta sic et scripta edit.*

*At si quis his succurrit impigra manu:*

*Aut menda dextrè deterit:*

*Is laude doctorum profectò dignus est:*

*Multos iuuare cum velit.*

*Hoc iam labore multi adepti sunt decus:*

*Semper reliquus at est labor.*

*Huic SCHEGKIUS, nepos celebris Schegkii,*

*Cum laude nunc successor est:*

PRÆ-

PRÆMESSA sicut hæc facile testabitur,  
IACOBE pergas docte sic.

Martinus Crusius, v. L. & Rhe-  
toricæ Professor.

LAURENTII FRISÆI.

**N**ondum, nondum, inquam, exhausti Germania vires  
Omneis, Gorgoneis nec valedixit aquis.  
Adsurgit noua lux radiis quæ ruscule fuscant  
Gallorum, ac Italas lumine lustrat agros.  
Tolle tuum Oenotriis, dixit, Germania fastum:  
Occubuit nondum Schegkius; alter erit.

OMISSA ET ADDENDA.

In Epist. ad I. Duzam F. facit vnice huc Plautus in Tru-  
culento, vt quidem legitur apud Festum in veteribus libris:  
*Huic homini amanti mea hera apud nos naniam. dixit, abi.*

Siqua occurrerint menda, operarum festinatione auctorisq. absentia  
commissa, benignus lector ea pro suo candore facile emendabit.



*Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.*

*Epistola ad Duxam F. de vinctis Planus in Ter-*  
*toribus, et quibusdam apud Planus in vinctis hinc:*  
*Haec doctrina in vinctis vinctis vinctis vinctis.*







Kb 831  
40

TA - OL

ULB Halle 3  
004 760 956



A  
*[Handwritten signature]*






  
  
 I I \* 5 \* 6 \* 2 \* 1 3  
 CASTAVLLI WAGRAMBO  
 MEL CRICIA LAVDEKA  
 CIAYAMEN WAGIS EST \*  







Ed 379

IACOBI I. N. SCHEGKI  
OBSERVATIONVM  
ET EMENDATIONVM,  
PRAEMESSA.

Viris amicis, & doctis oblata.



FRANCOFVRTI  
Apud Ioannem Wechelum,  
M D X C.

